

Ioannis Tzetzae scholiorum in Aristophanem prolegomena.

(Superioris fasciculi commentatio continuata.)

Reliqua, quae de fide scriptoris dicenda erant, sine ipsa rerum disquisitione, quam, ne praeter modum crescat commentatio, a nostro proposito alienam esse volumus, iudicari nequeunt. Quanquam pauca de hoc quoque genere, quae cum iis quae de scholio Plautino disputavimus coniuncta sunt, exponere visum est. Nam quod dixi latini grammatici verba, quibus Zenodotum Ephesium cum Alexandro Aetolo et Lycophrone Chalcidensi poetarum libros *in unum collegisse et in ordinem redegisse* testatur, e graeco *διώρθωσαν* verbo ab ipso non intellecto et cum iis quae postea scripta vidit commixto originem duxisse, id nolo in eam partem quisquam accipiat, quasi quid illi praestiterint inde constare et eorum quae de hoc argumento a summis viris disputata sunt vanitatem evinci existimem. Nam certum quidem illud, *διορθοῦν* verbum, pro quo quod in priore commentario medium genus *διορθοῦσθαι* eademque de re *ἀνορθοῦν* et *ὀρθοῦν* positum est, nihili faciendum, in hoc grammatico genere eam constanter vim habere, ut de critica opera in emendandis libris posita dicatur: cfr. quae de hoc usu collegit et explicavit Ritschelius Coroll. p. 19. Neque de alia significatione, si quis in hoc scriptore dubitationi locus relictus sit, cogitari posse inde apparet, quod horum grammaticorum opera et cum Aristarchea Homeri editione atque aliorum virorum interpretatione, cui illi fundamen-

tum suppeditaverint, in priore prooemio componitur, et in altero tum Pisistrati curis Homericis, tum barbaris libris in graecum sermonem translatis ita opponitur, ut utrique negotio quodammodo similis fuisse dicatur. Itaque cum dubitari nequeat quin ita sibi rem finxerit Tzetza, regem, libris congestis, tribus celeberrimis quos secum haberet grammaticis munus imposuisse, ut poetarum libros, nam de prosae orationis scriptoribus quaerere non intererat Tzetzae, recenserent, si quid corruptum videretur emendarent et veram eorum scripturam restituerent, eosque ita inter se provinciam dispartivisse, ut Lycophro comoediis, Alexander tragoediis, Zenodotus epicorum et lyricorum poetarum carminibus operam impenderet: cum de Tzetzae inquam sententia omni ex parte constet, at hoc ita fuisse vix quisquam adducetur ut credat. Mihi certe persuasit Ritscheli Cor. p. 21 sqq. criticam tot poetarum editionem ab istis viris neque parari propter laboris paucorum annorum spatio conficiendi magnitudinem potuisse, neque in deficiente tantae rei apud posteros grammaticos memoria paratam esse. Welckeri autem interpretatio celeberrima, qua ad cyclum epicum, a Zenodoto constitutum, latini grammatici testimonium docte et subtiliter revocavit, vereor ne graecis verbis labefactetur potius, quam adiuvetur. Contra hanc operam, qualiscumque fuit, cum Callimachi *πίνακας* conscribendi studio coniunctam fuisse, ut per se probabile est, ita nescio an ipse Tzetza indicaverit, cum dicat II, 1 ὥς ὁ Καλλιμάχος νεανίσκος ὦν τῆς αὐτῆς ὑστέρως μετὰ τὴν ἀνόρθωσιν τοὺς πίνακας αὐτῶν ἀπεγράψατο et ἀλλὰ τὰ Καλλιμάχου καὶ Ἐρατοσθένους μετὰ βραχὺν τινα χρόνον ἐγένετο τῆς συναγωγῆς τῶν βιβλίων καὶ διορθώσεως. Id autem si quaeris quale fuerit, quod inter ipsam librorum collectionem et indicum compositionem medium intercedere debuerit, vix quicquam invenias quod magis probabile dicas, quam singula volumina, ita ut congesta erant, ab illis examinata et recognita fuisse, ut quid in unoquoque contineretur, intelligerent, num ad auctorem, cuius nomen ferebat,

pertineret, utrum a bono librario diligenter et polite an vitiose et ita, ut novum exemplum parari oporteret, scriptum esset quaererent, et secundum haec omnia ordinem quendam constituerent. Haec enim non minus cum rerum natura, quam cum indole illorum virorum, quorum unumquemque et in iis, quibus praefectus erat, litteris non mediocriter versatum fuisse, et grammaticae arti operam dedisse novimus (cf. Ritschel. Corroll. p. 24 sqq.; Mein. hist. crit. p. 10; Suid. *Λυκόφρων* et *Ἀλέξανδρος*), conveniunt. In illo autem negotio cum non solum titulorum, sed etiam ipsorum verborum emendandorum occasio data esset, qua pro suo quisque arbitrio uti poterat, sequitur id quoque quandam *διόρθωσιν* fuisse, quae a Tzetza, celeberrimorum Zenodoti studiorum memore, ita accepta est, ut, quod ab hoc in Homeri aliorumque poetarum carminibus fieri meminit, ad hoc negotium ab illo prorsus diversum et seiunctum transferret, idemque duobus, quibus in eo munere sociis utebatur, temere tribueret. Atque ita factum esse ex his verbis apparet I, 1 οὔτοι μὲν τὰς σκηνικὰς διορθώσαντο βίβλους, ὥς τὰς τῶν ποιητῶν ἐπεσκέψαντο Ἀρίσταρχοί τε καὶ Ζηρόδοτοι *). Ceterum non est mirandum, quod latini grammatici verba magis ad veritatem, de qua in summa rerum vides nobis convenire cum Ritschelio l. c., accedere videntur, quam graeca, e quibus derivata sunt. Neque enim fieri poterat, quin eo verbo, quod proprium et certis finibus circumscriptum significatum in graeco sermone habet, deleto maio-

*) Nescio an in *ἐπισκέπτεσθαι* verbo cum *διορθοῦσθαι* verbo, ita ut eandem utrumque vim habeat, coniuncto tenue quoddam antiquioris memoriae vestigium, quo sententia nostra confirmetur, haereat. Quamquam enim ad Zenodoteam Aristarcheamque Homeri editionem hoc verbum rettulit Tzetza, possis tamen coniectere, e meliore fonte, ubi iustis finibus trium grammaticorum munus circumscriptum fuerit, id petiitum inque eo de hoc munere positum fuisse. Nam illud ipsum, quod rerum natura examinata probabile esse invenimus, *ἐπισκέπτεσθαι* verbo optime significari poterat. Sic enim dicebant de eo, qui rem, cui praeest, oculis perlustrat et examinat (Xen. oecon. 8, 15) unde posteriore aetate ad populi censum transferri solitum, ut Numer. cap. 1 de Iudaeorum censu saepius ponitur. Quanquam, quoniam incerta res est, noluimus ei nimium tribuere.

rem coniectandi locum latina verba, quorum alterum ne verum quidem de illis grammaticis est, relinquerent.

Alter autem locus qui a latino grammatico ita mutatus est, ut possint cuiusdam meliora et ex alio fonte derivata substituta esse videri, ad Callimachum atque Eratosthenem pertinet, quocum coniunctus est is, qui est de librorum in Alexandrinis bibliothecis multitudine. Atque ut ab iis, quae de librorum numero scripta sunt, initium capiam, duae de hac re prolatae sunt sententiae, altera Ritschelii de schol. Plaut p. 28, altera Bernhardyi p. 831. Quorum ille ita verba interpretatur, ut de interiore vel Regiae bibliotheca *voluminum quidem commixtorum quadringenta milia* vel *βιβλων μὲν συμμίκτων ἀριθμὸς τεσσαράκοντα μυριάδες* universam et indiscretam omnium librorum copiam complecterentur, *simplicium autem et indigestorum milia nonaginta* vel *ἀπλῶν δὲ καὶ ἀμεισγῶν βιβλων μυριάδες ἑννέα* eam librorum partem significarent, quae exclusis binis ternisque unius scriptoris exemplis relinqueretur; quam distinctionem ad exterioris, quae in Serapidis templo erat, bibliothecae copias definiendas non adhibitam esse ait, propterea quod in ea singula tantum librorum exempla ex altera bibliotheca delata extiterint. Bernhardyus autem singulorum scriptorum libros iis opponi voluminibus voluit, quibus complures libri sive argumenti similitudine sive auctorum, de quibus dubitabatur, nominibus inter se coniuncti comprehensi essent. A quibus non dissentire videtur Schneidewinus l. c. p. 952, qui miscellos quos dicimus codices opponi simplicibus ait. Et prior quidem sententia ita comparata est, ut ea quae contra disputavit Bernhardyus l. c., a quibus sua defendit Ritschellius Coroll. p. 34 sqq., non impeditura essent, quominus eam amplecterer, modo viam, qua ad verba apte accommodaretur, conspicerem. Nam cum latina verba, a quibus profectus erat Ritschellius, non sine artificio in eam quam posui sententiam deflecti queant, tum aperte adversantur graeca. Viderat hoc Ritschellius et auxilium petebat a Parisini codicis scriptura *συμμιγῶν*, pro qua *συμμίκ-*

των dici oportuisset, si varii vel mixti argumenti libros significari Tzetza voluisset. Nunquam enim hos *συμμιγεῖς*, sed *συμμίκτους* constanter appellari. Largimur ex hoc usu recte colligi quod voluit ille, *συμμιγεῖς βίβλους* ita dici, ut non singulorum librorum indoles multiplex, sed mixta condicio universorum tanquam *συμμεμιγμένων* spectetur, largimur item pro corrupta in Ambrosiano codice *συμμικῶν* voce *συμμιγῶν* potius, quam *συμμίκτων* restituendum fuisse: scilicet non minore difficultate laborant ea quae opposita sunt *ἀπλῶν δὲ καὶ ἀμίσγῶν*. Nam ut *ἀμίσγεῖς* vel *ἀμιγεῖς*, hoc est non mixti vel digesti, recte dicantur ii libri, a quibus alia, quae cum iis coniuncta erat, pars discreta esset, iidem quo iure simplices appellantur, aut cur minus apertum vocabulum, quod ne oppositi quidem *σύμμικτος* ratio poscebat, addiderit scriptor, non intelligo. Nam cum *βίβλοι* non ipsi scriptorum commentarii et carmina poetarum sint, sed volumina, quibus haec comprehensa erant (cf. Ritschel. de schol. Plaut. p. 27 et Ind. lect. hib. Bonnens. a 1840 p. IX), ipsa volumina, propterea quod singula librorum, quos continebant, exemplaria erant, reliquis in hoc numero non computatis, simplicia dici nequaquam poluerunt. Itaque cum ea esse debeat *ἀπλῶν* et *συμμίκτων* verborum vis, quae ipsorum voluminum naturam quodam modo tangat, maiorem probabilitatem ab hac parte habet altera sententia. Sed laborat ex alia parte, quod tantam eorum voluminum, quae diversorum scriptorum libros complecterentur, multitudinem extitisse nullo modo credi potest. Quae res Bernhardy, dubitantem praeterea de universa librorum copia, movit, ut *quadringenta* vocem in Plautino scholio corruptam putaret. In quo recte quidem illud, quod de numero dubitavit, siquidem quingenta fere milia voluminum a Ptolemaeo Philadelpho coacta esse non facile mihi patiar persuaderi: sed cum idem numerus in Ambrosiano codice redeat, non librariis, sed grammaticis, qui numerum optima, ut apparebit, auctoritate traditum auxerunt, erroris culpa tribuenda videtur. Itaque videndum, num ista interpretatio, quam flagi-

tare verba videntur, in aliam partem deflecti possit: quod ut assequamur, spem facit verborum, qui in Ambrosiano codice servatus est, nexus. Nam cum latinus grammaticus et ad Callimachi et ad Eratosthenis auctoritatem hoc de librorum numero testimonium rettulisset, graeca verba ὁς ὁ Καλλιμαχος τοὺς πίνακας αὐτῶν ἀπεγράφαι certiores nos faciunt, nullas Eratosthenis in hac re partes esse, sed e Callimachi *Tabulis* tam numeri definitionem, quam illam mixtorum et simplicium voluminum divisionem petitam esse. Male tamen accidit, quod exigua Callimachei libri memoria nobis relicta est, eaque ita comparata, ut quamcunque ἀπλῶν et συμμίκτων verborum interpretationem excogitaveris, ab eo non alienam esse concedendum sit, siquidem nihil, quod ad volumina describenda spectaret, in indice librorum non apte positum erat. Ab altera autem parte dolendum est, quod quemadmodum singuli libri voluminibus distributi fuerint, id enim hic agi apparet, satis certo definiri nequit.

Nam Herculanensia volumina, quae luculentissima in hoc genere documenta haberi solent, tum propter exiguum eorum quae e tanta multitudine explicata sunt, numerum, tum quia fragmenta potius quam libri continui sunt, minorem in hac re vim habent. Etenim modum aliquem voluminum fuisse inde apparet, quod exempla librorum inter duo volumina distributorum, ne indicatione quidem alterius partis constanter in titulo addita, non desint: cfr. n. 1423 Φιλοδήμου περὶ ῥητορικῆς δ τῶν εἰς δνὸ τὸ πρότερον ed. Oxon. I. p. VI, cuius libri altera pars est n. 1007 Φιλοδήμου περὶ ῥητορικῆς δ ib. II. p. 1, et n. 1538 Φιλοδήμου περὶ ποιημάτων τοῦ ε τῶν εἰς δνὸ τὸ β I, p. 6, quocum coniungendum est hoc n. 1425 Φιλοδήμου περὶ ποιημάτων ε. Unde sequitur, in multis voluminibus, quorum aut prima aut extrema verba idoneo sententiarum vel principio vel fine carent, prorsus incertum esse, quid igne deletum, quid suapte natura imperfectum sit, ut ed. Neap. T. IV. Polystrat. de iniusto contemptu p. 2, ibid. IV sec. part. p. 1, ibid. VIII Philod. p. 1. Quanquam, cum in nonnullis volumi-

nibus, etiamsi pars quaedam papyri restaret, finis libri indicatus sit, ut ed. Neap. II p. 12 et 71 in duobus Epicuri de natura libris, et vol. III, quod duos Philodemi de vitiis libros in singulis quemque papyris perscriptum continet (cfr. ibid. I Philod. de mus. p. 139, IV Philod. de rhetor. p. 45, VI Philod. de deor. vivend. rat. p. 81, VIII Philod. de philos. p. 37), confitendum sane est, hunc videri morem valuisse, ut singulis voluminibus libri responderent. Sed longe aliter res se habet in papyraceo Iliadis volumine ab Anglis in Elephantina insula reperto, quode vid. Phil. Mus. Cantabr. I a. 1831 p. 177 sqq. et Parthey de Mus. Alexandr. p. 81. Eo enim ultimi libri vicesimi quarti versus inde a versu 117, nulla sententiae conclusionem ab iis quae praecedunt disiuncto, continentur, nec deesse quicquam testis est centenorum versuum numeratio litteris ρ' σ' etc. ad v. 127, 137 etc. ascriptis indicata. Unde apparet tum, cum iste liber scriberetur, eum fuisse morem, ut si quod opus ab ipso scriptore pluribus libris, qui uno volumine comprehendi non poterant, divisum esset, singulis voluminibus tantum, quantum chartae caperent, nulla illorum librorum ratione habita mandaretur. Quem usum cum in iis quoque libris, qui Alexandriam congesti erant, valuisse probabilius sit, quam alterum illum, quem in Herculaneis voluminibus animadvertimus, non mediocriter augetur eorum voluminum numerus, quae cum binorum librorum partes complecterentur, mixta recte dicebantur. Libri enim ita dici solebant, ut non opus universum, sed singulae eius partes spectarentur. Cf. de his omnibus Ritschelium de bibl. Al. p. 26 sq. 30 sq. 123 sqq.

Atqui, ut redeam unde profectus sum, Callimachum in indice conficiendo prima unius cuiusque libri verba posuisse testatur Athenaeus VI, 244 A et XIII, 585 C. Quod cum non sit, cur de universo opere potius, quam de singulis, quibus distributum erat, libris accipiamus, maxime si fabulae quoque unius poetae hac ratione scriptae erant, praeterea autem voluminis initium indicandum fuerit, consecrarium est,

simplicium et mixtorum voluminum distinctionem in Callimachi Tabulis et fieri debuisse, et alicuius momenti fuisse, praesertim cum ita tantum intelligi posset, quid inter binorum voluminum materiam vel similitudinis vel dissimilitudinis interesset. Qua in re incertum relinquitur illud, si quando librorum divisioni cum librarii scriptura convenerit, num inter simplicia id volumen relatum sit, an mixtorum numero ascriptum. Pendet enim inde iudicium, num unicuique volumini notam qua aut simplex aut mixtum esse significaretur, ascriptam esse a Callimacho aut eos libros, qui per complurā volumina pertinebant, seorsum positos, et, cum maior voluminum pars mixta esset, hoc nomine inscriptos dicas. Alterius autem bibliothecae libri cur non ex hac bipertita divisione numerati fuerint, causa est haec, quia ad illos Callimachi indices non pertinebant*).

*) Omisi Plutarchi verba Anton. 58 *Καλούσιος δὲ Κάισαρος εἰσαῖρος ἐτι καὶ ταῦτα τῶν εἰς Κλεοπάτραν ἐγκλημάτων Ἀντωνίῳ προὔφερε, χαρίσασθαι μὲν αὐτῇ τὰς ἐκ Περσέου βιβλιοθήκας, ἐν αἷς εἴκοσι μυριάδες βιβλίων ἄπλῶν ἦσαν.* Nam cum ἀπλοῦς vocabulo de libris dicto certa, quae ubique valeat, significatio non insit, sed secundum id quod opponitur in diversas partes accipi queat, non video quod ab his verbis auxilium iure peti possit. Itaque in re incerta a certis testimoniis proficisci rationi consentaneum duximus, ut ab hac certe parte nostra sententia, quam scimus habere quo laboret, quodam modo commendetur. Eadem autem de causa de Plutarcho nunquam non ambigua manebit interpretatio. Possumus enim numerum ex ipsa Calvisii oratione petium non de voluminibus vel codicibus, sed de libris, qui, cum pluribus exemplis extarent, tamen tanquam singuli ab oratore numerati sint, dictum existimare. Contra si verba a Plutarcho addita et ad voluminum numerum pertinere putas, de numero minus accurate definito cogitari potest: qua sententia haud scio an rectius ἀπλῶς, quod aliis placuisse video, scribatur, ut sit ὡς ἀπλῶς εἶπεῖν. Denique ascribam Matheri verba histoire de l'école d'Alexandrie ed. 2. T. 1 v. 143 „Notre Inconnu, qui a pu copier en cet endroit Callimaque ou un scoliaste de l'auteur du Musée, en venant faire une distinction formelle entre les volumes simples, ἀμυγᾶ, volumina simplicia et digesta, et les volumes commixtes, συμμιγᾶ, semble expliquer le terme de βιβλία ἀπλόα qu'emploie Plutarque, dans le sens d'ouvrages dont le dépouillement est fait, dont l'intégrité et l'authenticité sont arrêtées, dont toutes les pièces faussement attribuées à l'auteur ont été écartées par les Chorizontes, en un mot, qui ont passé sur la planchette, où, suivant Gallien, on déposait les ouvrages examinés et dont enfin on ne comptait pas les doubles.» Opinionibus magis quam argumentis haec, sicut reliqua, quae de hoc argumento idem scriptor commentus est, nituntur.

Sed in his quidem minor est graecorum a latinis verbis differentia. Magis enim recedunt ea quae ad Callimachi et Eratosthenis vitam spectantia posuit Tzetza. De quibus hanc sibi finxit sententiam, libris a Zenodoto, Alexandro, Lycophrone recensitis et in eum qui videbatur ordinem redactis, Callimachum atque Eratosthenem, qui iuvenes tunc in aula regia versarentur, suas suscepisse provincias, alter ut indices librorum componeret, alter ut bibliothecae praecisset. Nam quod Eratosthenem quoque in libris recensendis tribus grammaticis affuisse dixerat in priore prooemio, improbare videtur in altero ἀλλὰ τὰ μὲν Καλλιμάχου sqq. Vix minus fabulosa haec dicas, quam quae de eodem argumento memoriae tradidit Vitruvius VII praef., castigata a Clintonio fast. Hellen. III p. 387. Duplex enim inest error, primum quod Zenodotum ante Eratosthenem bibliothecae praefuisse Suidas Ζηνόδ. refert, deinde quod Eratosthenes teste eodem Suida Ἐρατοσθ. tum, cum Philadelphus bibliothecam conderet, vixdum natus, ab Euergeta demum Athenis arcessitus est*).

Itaque cum haud mediocriter infringatur Tzetzae fides, praesertim cum de Demetrio Phalerio non minus tempora confusa videamus (vid. Ritschl. de schol. Plaut. p. 13), ab his tamen distinguenda sunt ea, quae antiquioris, quem ille secutus

*) Non erat cur huius narrationis fidem elevarer Bernhardyus Eratosth. p. VIII et 16, propterea quod per breve tantum tempus Eratosthenes Athenis commoratus fuisset. Nam quod huius sententiae argumentum posuit, Polemonem librum περὶ τῆς Ἀθήνησιν Ἐρατοσθένους ἀποδημίας inscriptum composuisse, (schol. Aristoph. Av. 11) quo eum omnino non fuisse in illa urbe ostenderet (cf. Strab. I p. 15), id ita potius intelligendum videtur, Polemonem tam acriter Eratosthenem de rebus Atticis disputantem castigasse, ut eum, ne vidisset quidem Athenas contenderet: cf. Preller Polem. fragm. p. 86. Quare probabile potius, eum tum, cum Aristoni Chio philosopho Athenis operam daret, a tertio Ptolemaeo arcessitum esse. Cum quibus si quis ita Tzetzae narrationem concinnare velit, ut Eratosthenem puerum Alexandriam venisse, deinde geographicorum conscribendorum causa Graeciam peragrasse, illo absente Zenodotum bibliothecae praefectum esse, hoc autem mortuo illum iterum locum suum occupasse dicat, obstat tamen aetas Eratosthenis: qui cum teste Suida Ol. 126 natus sit, quocum consentiunt reliqua de eius aetate testimonia a Bernhardy p. XI composita, puerili aetate ad illud munus accessisset.

est, scriptoris auctoritate nituntur. Hic igitur dubitari nequit quin et adolescentem fuisse Callimachum Philadelpho regnante scripserit et bibliothecae eum praefuisse nesciverit. Nam cum aliquid tamen ab eo scriptum fuisse necesse sit, unde mirum illud *νεανίσκος ὢν τῆς αὐλῆς* efficere potuerit Tzetza, tum nec ipse, si de bibliothecae praefecto quicquam compertum habuisset, in tali quidem argumento tacuisset, nec si dixisset, id omittere et in alia aberrare poterat Tzetza. Nihil autem refert de illo adulescentulo aulico, quem bibliothecario substitutum esse videmus, quaerere. Nam ut latinus grammaticus suae aetatis rem, cum ab eis quae narrantur non aliena esse videretur, suopte arbitrio intulit, ita ab ipso Tzetza factum esse puto, ut Byzantini imperii morem et nomen ad ea quae de Ptolemaeorum memoria scripta invenit transferret. Nam ipsum Callimachum tali honore functum esse, etiamsi eius aetate extiterit, Tzetzae quidem testimonio non facile credo. Sed cum illud primi et antiqui auctoris de bibliothecae praefectura silentium etiam disertum testimonium quodammodo vim hoc loco habeat, sequitur hoc munus, quod Plautini scholii auctoritate Ritschellius de schol. Plaut. p. 19 coroll. p. 29, rei probabilitate motus Bernhardys hist. litt. graec. I, 367 Callimacho tribuerunt, non sine gravi causa ad eum referendum esse. Non potuit autem alius ei locus assignari quam ut inter Zenodotum et Eratosthenem, quorum utrumque bibliothecae praefuisse tradit Suidas, medius intercederet. Atqui Zenodotus, quem Aristophanes Byzantius, sub Olympiadem 130 natus (cf. Ritschel. p. 79) puer audivit, adolescens non amplius audire potuisse videtur, Suid. *Ἀριστοφ.*, Ol. 133 vel 134 mortuus est. Nam cur ad Ol. 135 eius vitam producat Clintonius fast. Hell. p. 7, non video iustam causam. Hoc autem tempore cum Euergetes regnum susceperet (Ol. 133, 2), nihil obstat, quominus Eratosthenem Zenodoto mortuo statim Alexandriam arcessitum bibliothecae praefectum esse dicamus. Quo simul hoc assequimur, ut tum novi regis imperium tum munus modo relictum aptam causam

praeberet, cur Alexandriam Eratosthenes vocaretur. Neque haerere debemus in eo, quod Callimachus illo honore si quis alius dignissimus homini peregrino postpositus sit. Poterat enim nescio quae causa esse, cur illud munus, quod quale fuerit ne compertum quidem habemus, aut ipsi non offerretur aut oblatum ab eo non acciperetur.

Quamquam hoc quidem, siquidem de Tabulis Callimacheis constat, iam exigui momenti est. Gravius enim illud, quod hoc testimonio erepto aliud de Callimachi aetate substituitur, quod quamvis tenue sit, tamen in incerta rei memoria haud contemnendum est. Nam cum certis documentis aetas viri non constituta sit, alii Zenodoto aliisque qui inde ab ultimis primi Ptolemaei annis floruerunt aequalem fuisse dixerunt, alii posterioribus, quorum etiam per Evergetae imperium gloria pertinuit, eum adiunxerunt. Quorum rationes ut perspiciantur et num quid momenti alterutri parti ex novo documento accedat intelligatur, reliqua testimonia et quae iis nituntur sententias examinari necesse est. Ad Zenodoti igitur aetatem, ut in recentioribus subsistam, Callimachum revocarunt Ritscheliuss de schol. Plaut. p. 86, qui ab Ol. 114 usque ad Ol. 135 eius vitam pertinuisse existimat, Heckerus quaest. Callim. p. 16 sqq., qui inter Ol. 116 et 134 eam coerces, et ut videtur Clintonius fast. Hell. III, 15, qui usque ad Ol. 137 eius aetatem producit: ab altera autem parte stant Bernhardyus ad Suid. p. 46, cum Ol. 127 Callimachum admodum adolescentem fuisse dicat, et Droysenius hist. Hellenism. II p. 725, qui consentiente Bernhardyo hist. litt. graec. II p. 1035 ab Ol. 125 usque ad Ol. 135 eum floruisse statuit. Antiquorum autem scriptorum testimonia, e quibus alius aliud fere prae ceteris secutus est, haec sunt.

1. Suid. *Καλλιμ.* Ἐπὶ δὲ τῶν χρόνων ἦν Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου — καὶ παρέτεινε μέχρι τοῦ Ἐννεργέτου κληθέντος Πτολεμαίου. Gell. N. A. XVII, 21: Bellum adversum Poenos primum coeptum est (u. c. 490 = Ol. 129, 1) neque diu post Callimachus poeta Cyrenensis Alexandriae apud Pto-

lemaeum regem celebratus est. Quibus hoc certo colligitur, Callimachum Philadelpho regnante (123, 4—133, 2) celebrem usque ad Evergetae imperium vitam produxisse, hoc est ante Ol. 139, 3 mortuum esse. Nam quod Weichertus de Apollon. Rhod. p. 22 propter *παρέτεινε* verbum primis illius imperii annis eum obiisse contendit, speciosius quam verius disputatum est. Nullam enim id vim habet, nisi ut finem, ultra quem non extendi debeat vita, constituat. Gellii autem verba eo inclinant, ut sub finem potius, quam initio Philadelphi imperii Callimachus floruisse videatur.

2. Arat. vit. II, p. 432 ed. Buhl.: *Μέμνηται δὲ αὐτοῦ (Ἀράτου) Καλλιμάχος ὡς πρεσβυτέρου οὐ μόνον ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς πρὸς Πραξιφάνην*. Ib. I, p. 4: *Γηραιῷ τῷ Κυρηναίῳ (ὁ Ἀρατος) ἐπεβάλλετο, παρ' οὗ καὶ ἐπιγράμματος ἤξιώθη*. E quibus cum ea tantum quae posteriore loco posui animadverteret Ritscheliuss p. 88, immerito Callimachum Arato natu minorem fuisse collegit. Recte enim Bernhardus Annal. Berol. p. 839 concedente Ritschelio Coroll. p. 30 eum, qui hanc vitam scripsit, errasse (minus probabiliter enim errore ad librarium revocato *γηραιός* substituit Clint. fast. Hell. III, p. 7), et ex alterius testimonii fide natu minorem potius fuisse Callimachum contendit. Quare cum Aratum nec post Ol. 118 nec multis annis ante natum fuisse constet (cf. Ritschel. p. 88 et Clint. II, 368), consequitur Callimachum non ante Ol. 118 natum esse. E quo iudicanda sunt haec, in quibus cum antiquioris memoriae hominibus eius nomen componitur vit. Arat. I, p. 3 ed. Buhl. *συνήκμασε δὲ Ἀλεξάνδρῳ τῷ Αἰτωλῷ καὶ Καλλιμάχῳ καὶ Μεάνδρῳ (Νικάνδρῳ coni. Ritscheliuss p. 86) καὶ Φιλητῷ*. Schol. Theocr. p. 809 ed. Kiessl. *ιστέον ὅτι ὁ Θεόκριτος ἐγένετο ἰσόχρονος τοῦ Ἀράτου καὶ τοῦ Καλλιμάχου καὶ τοῦ Νικάνδρου· ἐγένετο δὲ ἐπὶ χρόνων Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου*.

3. Schol. Vict. II. II, 234. *οἱ περὶ Ζηνόδοτον πολυπίδακος διὰ τὸ Καλλιμάχου Κρηνέων τ' Εὐρώπῃ μισγομένων ἑκατον*. Schol. Eur. Rhes. 28. *ἐνιοι δὲ εἰσιν οἱ καὶ παρὰ*

τὴν αὐτὴν (Εὐρώπην) ὠνομάσθαι τὴν ἡπειρον (φασίν), κα-
θάπερ καὶ Καλλιμάχος, Ζηνόδοτος δὲ ἀπ' αὐτοῦ. Quae cum
Heckerus ad Aetiorum librum a Callimacho iam ad senectutem
vergente, ut ait, scriptum revocasset, Callimachum senem Ze-
nodoto aequalem fuisse nec vitam ultra huius mortem duxisse
collegit. Sed ut taceam quod de nominum corruptela cogita-
vit Bernhardus hist. litt. graec. II p. 1035, quoniam de eo
quod ille posuit, non potuisse Zenodotum in critica arte
exercenda a Callimacho argumenta petere, alium aliter iudi-
caturum esse video, nullam Zenodoti nomen cum Callimacho
coniunctum argumentandi vim habet. Nam et ex alio Calli-
machi carmine iuvenili aetate scripto haec memoria petita esse
potest, et ipsa Aetia ex Naekii ratiocinatione Mus. Rhén. II,
519 a. 1831 ante Hecalen carmen (*ab viro scriptum non ab
iuvene*), composita ad senectutem referre vix licet. Omnino
autem haec ita comparata sunt, ut ab iis non proficiscendum,
sed e temporum ratione aliunde constituta res iudicanda sit.
Itaque nihil inde colligitur, quam Zenodoto vivo, hoc est ante
Ol. 133 clarum fuisse Callimachum.

4. Suid. Ἀριστοφάνης. μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ
Ζηνοδότου, ἀλλὰ τοῦ μὲν (Καλλιμάχου) νέος, τοῦ δὲ (Ζη-
νοδότου) παῖς ἦκουσεν. Itaque ut Aristophanem adolescentem
institueret, ultra Ol. 134 vitam provexerit necesse est.

5. Suid. Ἐρατοσθένης. μαθητὴς Καλλιμάχου τοῦ
ποιητοῦ. Unde, cum nesciamus cuiusmodi illa institutio fue-
rit, sive puerum Eratosthenem in vico Eleusinio eius scholis
interfuisse, id quod minus probabile est, cum Weichert I. c.
dicis, sive Evergeta regnante ab eo nescio qua disciplina
eruditum ponis, vix quicquam efficias; quam Callimachum Era-
tosthene natu maiorem, hoc est ante Ol. 125 natum esse.

6. Apollonii vit. p. XI ed. Well. Καλλιμάχου μαθητὴς
τὸ μὲν πρῶτον συνὼν Καλλιμάχῳ τῷ ἰδίῳ διδασκάλῳ, ὅψε δὲ
ἐπὶ τὸ ποιεῖν ποιήματα ἐτρέπετο. Suid. Ἴβις. ἔστι δὲ
ποίημα ἐπιτετηδευμένον εἰς ἀσάφειαν καὶ λοιδορίαν εἰς τινα
Ἴβιν γενόμενον ἐχθρὸν τοῦ Καλλιμάχου· ἦν δὲ οὗτος Ἀπολ-

λῶνιος ὁ γράψας τὰ Ἀργοναυτικά. Nihil in his inest, cur Callimachum propter Apollonii, quae Erathostheni aequalis erat, aetatem diu post Evergetae imperii initium mortuum esse aut contendamus aut negemus. Nec plus proficimus eorum aetate, quorum praeterea aut praeceptor aut amicus fuisse dicitur, ut Heracleti Halicarnassensis Strab. XIV p. 656. Diog. Laert. IX, 17, Philostephani Cyrenaei Athen. VIII, 331 D., Istri Suid. Ἰστριος, Hermippi Athen. XIII p. 589 C. al.

Itaque quae ex his, si certos numeros quaerimus, constant, haec sunt: mortuum esse Callimachum inter Ol. 135 et 139, 3, natum nec ante Ol. 118 nec post Ol. 126. Iam autem accedit Tzetzae vel eius potius, quem ille auctorem secutus est testimonium, quod Callimachum Philadelpho regnante adolescentem fuisse certiores nos facit. Cui cum non pugnantibus iis, quae aliunde constant, non sit cur fides abrogetur, sequitur annum natalem etiam ultra Ol. 120 quaerendum esse, ut omnia bene secum composuisse nobis videamur, si inter Ol. 121 et 139 eius vitam coercuerimus. Ad senilem autem cum proventus esse videatur aetatem (Stat. silv. I, 2, 253. Call. epigr. 22, 6. Hecker p. 18), nec mors nec natalis annus longe ab eo quem statuimus fine recedere potest. Contra hanc aetatis definitionem ea quoque, quae e Callimachi carminibus et fragmentis ad rerum publicarum memoriam solita sagacitate revocavit Droysenius, etiamsi sic, ut ipsi visum est, de omnibus constaret, non pugnarent.

Praeter expectationem accidit, ut, cum Ambrosiana prolegomena a Plautino scholio defendere studeremus, maximam partem eorum quae de Ptolemaei Philadelphi bibliotheca et de grammaticis Alexandrinis tradita sunt sub iudicium vocaremus. Illa autem quae sunt de Homeri carminibus deque fabularum partibus et scenae ornamentis, si quid ex his quoque utiliter colligi queat, quoniam aut omittenda sunt aut copiose tractanda, alii tempori et aliorum eruditioni relinquere praestat. Id unum addere libet, siquidem video futuros esse, qui de quarto illo Onomacriti, Orphei, Zopyri in componendis Ho-

meri carminibus socio iam certius constitutum iri sperent, eius nomen iam in illo libro, quo usus est Tzetza, corruptum neque ab hoc ipso intellectum fuisse. Cuius rei certum documentum est hoc, quod cum *ἐνι* praepositione conglutinatum in utroque prooemio primo loco positum est. Itaque cum illud *ἐνι* ex antiquiore fonte derivatum esse videatur, eoque servato vix a vocali littera verum nomen incipere potuerit, vel hac de caussa non probabiliter Bernhardyus Annal. Berol. p. 835 et hist. litt. graec. II, p. 68 de Euclio Cyprio cogitasse dicas. Eo autem erepto nisi quis alium aetatis Pisi- strateae virum, id quod non facile fieri poterit, substituat, iis, quibus de legitimis graecorum nominum formis quaerere placet, res relinquenda est.

Henricus Keil.
